

lissimum illud objectum à finito nostro intellectu satis rimari, mirari forsàn, nequeat, ab aliis vel Theologicè, conf. D. Joh. Christoph. Bielefeldt. sub præsidio *de Vita DEI dissertationem Giefs. Hassor. A. 1695. habit. Theologicam, & ex Reformatis Petri Jurieu theses, quas dispp. Theologorum Sedanens. Tom. II. p. 1023. invenies, de vita Dei Theologicas, vel Philosophicè, Pneumaticis passim, hoc nostrum thema legeres pertractatum, in præsentì, rudi, per ingenii nostri, in hac ab omni sensu remotissima materia, hebetudinem, penicillo, vivificantis omnium vitarum, scaturiginis ac pelagi auxilio, æquis insuper censoribus, freti, nonnulla, eâ, ex hypotbesi Philosophorum quorundam modernorum essentiam existentia præponentium, observata methodo, ut dicenda definito, dein definitioni, definitionis demum rationibus formaliter propositis, includamus, repræsentare brevibus conabimur.*

### §. III.

Definitum, in sensu neutiquam aliàs Philosophorum riguroso, quod concernit, binos animadvertimus involvere conceptus, quo de posteriori, utpote non hujus ob amplitudinem loci, non adeò solliciti, quo ad vitam, quæ DEO T.O.M. convenit, sensim etiam & veluti per gradus, assurgamus, more recepto, vitæ ut sic  $\alpha$ ) Etymologiam,  $\beta$ ) Homonymiam, &  $\gamma$ ) Synonymiam, remotis à Deo removendis, si definito ordine perlustremus, à præscriptis non aberrabimus dissertationis regulis.

### §. IV.

Vita, Johanne Gerhardo Vosio, in *Etymol. lingua latina*, sub voce hâc, autore, à vi dictam probat Varro, illo Lucilii:

*Vis est vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.*  
sive ut est in aliis libris;

- - - *vis vos facere omnia cogit.*

Quod